Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 655
Quelle:
Copyright:



Elencho, quam Rubricis praesens Exemplar caret.

III. *fol.* 51. charactere minuto fortasse jam Sec. XIII. sequuntur *Commentaria in Apocalypsin* hoc initio: *Apocalipsis ihesu christi et cetera. Beatum iohannem apostolum et evangelistam hunc librum apocalipsis edisse constat. quamuis extiterint aliqui qui non ab eo. sed ab alio dixerint fuisse compositum.* &c. En altera vice *Berengaudum* illum, quem jam inter *Codices Hermeneuticos* protulimus, impressum etiam a *Maurianis* ad calcem *Operum Ambrosii* T. II. *Paris.* 1690. *col.* 499. f. Sed in Codice praesenti quasi defloratus est, multis hinc inde Incisis omissis, ut vel e conclusione patet, quae nobis talis est: *Ab inuisibilibus hostibus inpugnamur. rogandus est dominus ut nos defendat. Explicit liber Apocal.* Abest praeterea Inscriptio, Divisio in VII. *Visiones*, et illa ad calcem *Admonitio*, qua nomen Autoris eruere docemur, de qua et aliis dixi ad Exemplar *supracit.*

## CCCXIII.

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 40. 8. manu perquam nitida minutius exaratus, titulis miniatis insignitus, et, ut *pag. ult.* videre est, olim antiquissimi Coenobii *Sancti Benedicti de padolirone mantue*, I. inscribitur: *Incipit Liber Sancti Bacharii De reparatione lapsi;* Monachi videlicet, qui cum sacra Virgine peccaverat. Initium ejus est: *Benedicto in christo fratri. omni michi fide et dilectione uenerabili ianuario. Bacharius peccator salutem. Nisi uererer beatissime frater ne inter simulatos amicos iob michi portio poneretur* &c. Editum Opusculum ab *Jac. Salv. Solanio Hisp.* primum *Antverpiae* cum aliis *Sixti* III. Pont. 1575. dein in *PP. Bibliothecas* cooptatum legitur T. VI. *Lugd.* p. 1174. Quantum porro lectio illa e nostro Exemplo perfici posset, aliquo specimine ex ipso Libelli ingressu docebo: R. 74

| Editio | Codex |
|---|---|
| *obturato linguae sibilo.* | *obturata linguę fistula.* |
| *cumulus testimoniorum.* | *tumulus testimoniorum.* |
| *non admittitur in totum animus.* | *non admittitur inde totus animus.* |
| *prostratus casu.* | *prostratus est casu.* |
| *et non solationem plagae.* | *nec consolationem plagę.* |
| *ut clarior ei postmodum.* | *ut celerior ei postmodum.* |
| *quod lateret architectum.* | *quod lateret archiatrem* &c. |

De autore nostro, cujus primus meminit *Gennadius de Viris illustr.* c. 24. quemque Codices et Scriptores *Bacharium*, *Bachiarium*, *Bacciarium*, *Bachianum*, Angli *Baleus* et *Pitseus* gentilem suum cognomine *Macceum* fecere, pluribus egit *Lud. Ant. Murato-*